



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctor Mellifluus S. Bernardus Magnæ Matris Cultor
Eximius, Et Ex Ordine Sancti Benedicti Sacellanus
Quartus. Sive Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus
Virginis Matris scripsit in gratiam magnæ ...**

Bernardus <Claraevallensis>

Nevhsii, MDCLXXV.

Sermo XLV. In Cantica. §. 2. tom. 3. pag. 73.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37156

cuit mea humilitas? Non mea, inquit, sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorem suum, id est solitum, solita placet Deo humilitas. Solito planè atque ex consueto excelsus Dominus humiliam respicit: & ideo cum esset Rex in accubitu, id est in excelso habitaculo suo, illuc quoque humilitatis odor ascendit: *In altis habitat*, inquit Psal. 112. & *humilia respicit in caelo & in terra.*

SERMO XLV. IN CANTICA.

§. 2. tom. 3. pag. 73.

Queramus geminam animæ pulchritudinem, hoc enim mihi videtur innuere. Decor animæ humilitas est. Non à me ipso hoc dicam, cum Propheta prior dixerit Psal. 50. *Asperges me hyssopo, & mundabor*; humili herbâ, & pectoris purgativâ, humilitatem significans. Hac se post gravem lapsum Rex & Propheta lavari confidit, & sic niveum quendam innocentiam recuperare candorem. Verùm in eo qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem: nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit. Et ideo concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiam sociavit. Denique respexit, inquit Luc. 1. *humilitatem ancille sue.*

SERMO XLVII. IN CANTICA.

§. tertius.

Differunt tamen & ipsi inter se, quòd hortus quidem, ut floreat, hominum manu & arte excolitur, campus verò ex semet-